



estante 7^a classe 7^a

Porphyrij Institutiones

AD CRYSAORIVM. INTER-
prete Ioachimo Peroinio Benedictino,
Comceriaceno,



CONYMBRICAE,

Apud Ioannem Barrerium &
Ioannem Alvarez.

M. D. XLVIII.

AD STUDIO SV M L E C T O R E M .

*Circonfu a diu tenebris, Iacueresophorum
Præcepta:ornatu nec nituere suo.
Donec Aristotelem vertit Perionius: ille
Quo laudat. i quidem Gallia semper erit.
Sic sibi restituit sophiam, tenebrisq, remotis
Romano ornatum contulit ore parem,
Ut doctos vehemens dubitatio torqueat omnes,
Græca magis placeant, an ne latina magis.*



UI A necessaria est, Chrysaori, ad Categoriarum rationem qua ab Aristotele tradita est generis, differentia, speciei, proprii, accidentis que cognitio, earumque rerum tractatio, & ad definiendum & ad diuidendi, ac demonstrandi rationem magnum affert adiumentum: tibi quidem institui breuiter, et vt institutionis ratio postulat, qua à maioribus didici expōere. In quo ego prætermisissis obscurioribus quaestionibus, eas interī tractabo, qua ad sensum popularem accommodantur. Ac primūm ne longe abeā, de generibus ac formis, cohereantne ipsa per sese, an in solis animis sint: et si cohereant per se, vtrum corpora sint, an ne corporis expertia: & nū auulsa sint & distracta ab ijs qua subiecta sunt sensibus, an in ijs ipsis haereant ac nitantur: hac, inquam, prætermittam omnia, præsertim cum hoc arduum sit subtiliorēq; egeat disputatione. Quo autem pacto de illis ipsis, ijs que qua diximus, cum veteres omnes, tum vel maximē Peripatetici quod ad logicam pertinet, disseruerint, quid que senserint, docebo.

✠ DE GENERE.

Genus & species non vno modo dicuntur. Nam genus dicitur aliquorum, & qui ad vnum quiddam, & qui inter sese quodammodo affecti sunt, & cognatione quadā coniuncti multitudo. Qua quidem significatione, Herculeorū genus ex vnius Herculis collatione appellatum est multorūq; hominū inter se affectione, qui inter se coniuncti sunt ea so-

. A u

generibus
 cietate qua ab illo ducta est, qua appellatione ab alijs quibus
 distinguitur. Dicitur etiã alio modo genus, unde alicui ortus
 principium est, siue ab eo qui genuit, siue ab eo loco in quo quis
 que ortus est. Sic enim & Orestem à Tantalò, & Hylum ab
 Hercule duxisse genus dicimus, itẽmque Pindarum Theba
 num genere Platonem Atheniensem. Dat enim ut pater, sic
 patria ortus cuique initium. Quæ mihi quidem prima vide
 tur occurrere significatio. Nam & Herculei dicuntur ij qui
 ab Hercule gẽus habuerũt. & Cecropide ij qui à Cecrope: itẽ
 que his finitimi primũque certẽ vocatũ id gẽus est, quod cui
 que dat ortus causam & initium: deinde multitudo eorum,
 qui ab vno principio vt ab Hercule, quasi quodã capite mana
 runt. Quam quidem multitudinem definiuimus seiunxi
 misque à cæteris, cum vniuersam multitudinẽ qua ab Her
 cule fluxisset, Herculeorum genus nominaremus. Iam alio e
 tiam modo genus appellatur, id, cui subicitur species, qua ex
 illis ducta videtur appellatio. Nam & initio est genus id for
 marum qua ei subiecta sunt, & videtur vniuersam multitu
 dinem qua ipsi subiecta est continere. Sed cum his tribus mo
 dis genus notetur, tamen de tertio apud Philosophos tantum
 oratio est. Idque hoc modo definiunt. Quod de multis, specie
 autem differentibus dicitur, cum quid quicque sit queritur
 vt animal. Eorum enim qua dicuntur, partim de vno tantũ
 modo dicuntur, velut in diuidua, cuiusmodi est Socrates hic
 homo, hæc res. partim de multis, vt genera vt species, vt differẽ
 tia, vt propria, vt accidentia ea qua cõmuniter in multis, nõ



proprie in vno in sunt. Est autem genus, ut animal: species, ut homo: differentia, ut rationis particeps: proprium, ut aptum ad risum: accidens, ut id quod album est, quodque nigrum et sedere. Genera autem ab ijs differunt, quae in vno solum dicuntur quod in multis dicuntur. Ab ijs item quae in multis sunt hec modo a specie, quidem quod species & si de multis illae quidem dicuntur sed tamen specie minus differentiibus, verum numero. Homo enim cum species sit, de Socrate & Platone dicitur: qui non specie, sed numero solum inter se differunt. At vero animal cum nomen generis obtineat, de homine, boue, equo que dicitur: qui specie etiam, non solum numero differunt. Porro autem inter genus & proprium hoc interest, quod proprium de vna modo specie cuius proprium est dicitur, ijsque indiuiduis quae species continet. ut ridens, de solo homine, singulisque hominibus dicitur. Genus autem non solum de vna specie dicitur, sed de multis, ijsque differentiibus. Postremo genus, & differentia, communiaque accidentia hoc inter se differunt, quod si de multis etiam specie differentiibus & differentiis dicantur, & communia accidentia, non tamen in quaestione dicuntur ea, qua quid quicque sit, sed in ea, qua quale quicque sit quaeritur. Si qui enim rogent, quidnam sit illud tandem: quo de hac dicantur omnia: genus respondemus, differentias & accidentia non respondemus: quippe cum hac de re dicantur, non in quaestione qua quid quicque sit, sed quale quicque sit quaeritur. Nam & cum qualis sit homo, quaerit aliquis, rationis eum particeps: & cum rogamur, qualis sit coruus, nigrum

esse respondemus. Quorum rationis particeps differentia est: niger autem acidens. At cum interrogamur quid sit homo, animal respondemus, quod genus est. Quamobrē genus hoc ipso quod in multis dicitur, ab ijs separatur omnibus, que de vno tantummodo dicuntur. quod de specie differentibus, ab ijs quae vt species dicuntur & propria. Quod verò in quaestione dicitur, quae rei natura indagatur, & a differentijs secernitur & ab accidentibus communibus, quae non in quaestione quaeritur & naturae rei, sed qua qualitas & modus inuestigatur, dicuntur omnia de ijs, de quibus quicque dicitur. Nihil igitur redundans, nihil parum explicatum continet quae generis notioni constituta est definitio.

DE SPECIE.

Species autē in vniuscuiusq; forma dicitur. Ex quo illud, **S**Primum quidem species est digna quae imperet. Vocatur etiam id species, quod subest generi. Hinc soliti sumus dicere, hominē specie esse animalis quod genus est, & cādorē coloris speciem, & triangulum figurā. Quod si speciei fecimus mentionē, cū generis vim definiendo explicaremus, hoc modo, Quod de multis, specie autē differentibus in rei natura quaerēda dicitur: & generis, cū specie definiremus his verbis, Species est quod subest generi, nemo reprehendat. Illud enim intelligendū est, quoniam genus alicuius genus est, & species alicuius species, vtendū fuisse necessario vtroq; nomine, cum vis & natura vtriusq; definiendo aperiretur à nobis. Speciem etiam definiunt hoc modo, Species, id est quod generi subijci-

tur, & de qua genus in quæstione qua quid quicque sit quaeritur, dicitur. Rursus etiã hoc modo. Species est qđ de multis numero differētibus dicitur in quæstione qua rei natura exquiritur. Quãquã speciei ultima quæq; tãtũmodo species est, nõ etiã genus, hæc propria definitio est: alia earũ omniũ quæ nõ sunt ultima. Quod hinc sciri potest, quia i quaque categoria quiddã primum est, & quiddam ultimum. inter quæ duo, alia interiecta sunt, quæ eadem & genera sunt et species. Est autem primum genus supra quod aliud genus esse nunquam potest. Ultimum vero quod nullum aliud sequitur. Inter primum autem & ultimum alia interiecta sunt quæ eadẽ & genera sunt & species, sed si cum alio aliõq; conferantur. Idque in vna Categoria per spici potest. Substantia enim genus est illa quidẽ quæ corpus cõplectitur: & corpus, corpus animatũ: corpus animatum, animal: animal, animal rationis particeps: animal rationis particeps hominẽ: homo, Socratẽ, Platonẽ, & singulos homines: ita tamen, vt eorũ omnium primũ genus sit substantia, solumque genus: homo verò species ultima, & modo species: corpus autẽ & substantia species, & animati corpori sit genus. itemq; animatũ corpus, species corporis est, genusq; animatis. Rursum animal species est animati corporis, genus ratione vtentis animatis. & animal ratione vtens, species animalis est, & genus hominis. At vero homo animalis ratione vtentis est ille quidẽ species, sed hominum singulorum est species tantummodo, nõ etiã genus. Ita quicquid ante individua proximẽ dicitur,

Aiiij

id omne nō generis, sed modo speciei nomē obtinet. Ut igitur
 substātia quæ in summo sita est, propterea summū genus habe
 tur, quòd genus est nullū ea antiquius: sic homo quia species
 est, qua nulla sit posterior, et quia non est natura quæ in spe
 cies & formas diuidi queat, sed in sola i diuidua (in diuiduū
 enī est socrates, itē que Platō & hoc quod albū est) ob eā cau
 sam in speciei numero modò, & vltima, atq; vt diximus in si
 ma non etiam generis, habetur. At verò quæ in mediò locata
 sunt, superiorum species & formæ, posteriorum genera dicū
 tur. Itaque duæ ex his comparationes affectionesque ducun
 tur: vna, qua ad superiora affecta sunt, ex qua eorum formæ
 speciesq; appellatur: altera, qua ad inferiora, ex qua eorū ge
 nera nominantur. Summa autem & extrema vno modo so
 lum comparantur. Genus enim principale, cum sit summum
 omnium, ad ea affectū est quæ complectitur: ad ea autē quæ
 eo antiquiora sunt, quoniam summum est primūq; prin
 cipium, atque id, vt diximus, cuius nullum esse genus vllō mo
 do potest, ad ea, in quam, nullo modo affectū est. Atque etiā
 infima species vnā comparationem habet, eam qua supe
 riora & priora respicit quorum species est: Itemq; eam, qua
 cū inferioribus confertur non diuersam, siquidem inuiduo
 rum, etiam species nominatur. Sed in diuiduorum propterea
 species dicitur, quòd ea complectitur: eorum autem quæ su
 periora sunt, species etiam dicitur, sed quòd eam illa cōtinēt.
 Primum quidem genus definiunt hoc modo. Quod cū ge
 nus sit, nō est species. Itē hoc modò, Cuius genus aliud esse nul

lum potest. Speciem autem ultimã hoc modo, Quod sic species est, ut non etiam genus sit. Item, Quod ita species est, ut in species dividi nullo modo queat. Item hoc modo, Quod de multis ijsq; numero differentibus dicitur, cū rei natura quaerendo investigatur. Quæ autem inter extrema interiecta sunt, ἀπὸ μὲν ἄλλων genera ac species nominant, & vnūquodque eorum ponunt esse genus & speciem, sed si ad aliud & aliud comparatur. Nam ea omnia que superiora sūt & antiquiora ultima specie, ascendendo vsque ad summum genus ἀπὸ μὲν ἄλλων genera & species vocantur. Ut Agamemnon, Atrides, Pelopides Tantalides, & extremum Iouis. Et in ortus quidem & familiarum descriptione ad vnū fere initium & quasi caput, verbi gratia ad Iouem, cetera referūt, Generū autē et formarū nō est eadē ratio: propterea quod id quod est, nō est cōmune genus omniū: nec omnia quæ sūt, ut placet Aristoteli ad vnū primū genus caputque referūtur: sed ponenda sunt, ut ipse in categorijs docet decem prima genera, quasi decem initia & capita rerum. Nam si quis omnia esse dicat, ambiguè, inquit, nō vna ratione appellabit. Si enim id quod est, commune genus esset omnium rerum, vna ratione ac modo esse dicerentur, Cum verò sint decē prima, nominis est solum, non etiam rationis que nomini constituta est societas & communio. Ac prima quidem, decem sunt, formarū autem infimarū certus est numerus, non infinitus, indiuiduorū, quæ formas ultimas sequūtur, infinitior. Quocirca iubebat Plato eos qui à summis generibus ad infi-

afficitur, & celeriter ex calore in frigus cōmutatur, & ex bona valetudine in morbum. Quod idem in ceteris talibus contingit, nisi aliqua eorum longinquitate temporis in naturæ habitum sic transferantur, ut vel omnino tolli nō possint, aut a grege eici. quæ tum habitus appellari licet. Illud autem perspicuū est, ex his in habitibus habenda esse ea, que diuturniora sunt, quæq; permanentiora. Nam qui sciētia aliquam particulam tenent, nō firmam memoria, sed exili, in ijs habitum esse non solemus dicere, quanquam quodammodo affecti sunt scientia, aut in bonā, aut malā partē. Hoc igitur inter habitū & affectionē interest, q̄ hæc facile desistere potest, ille diuturnior est, difficulterq; diuellitur. Habitus vero etiā afectiones sūt affectiones autē nō necesse est vicissim esse habitus. Nā & y in quibus habitus in sunt, ijs etiā afficiuntur, & qui affecti sūt, ijs nō continuo habitibus sūt præditi. Alterum genus qualitatū est, ex quo aliquos pugilum habitum gerere & ad cursum valere, alios ad bonam valetudinem & ad morbos proclives esse dicimus, & omnino ea omnia quæ à vi naturali, aut imbecillitate appellantur. Non enim ex eo hæc dicuntur, q̄ affecti sint quodam certo genere, sed quia vim quadam aut imbecillitatem eis natura tribuit, quæ aptos animos habent ad facile aliquid faciendum, nihilve patiendum. Ut pugilum et cursorum habitu esse dicuntur, non ex eo q̄ affecti

Dij

sunt quodammodo, sed quod natura valent, aut non valent ad aliquid facile obeundum. Valentes etiam appellatur quod vim habeant naturalem ut non facile nec leui de causa de statu sua valetudinis dimoueantur. Imbecilli autem, quod tam infirma sunt valetudine ut statim quavis ex causa comoueantur. Similis est ratio durorum & mollium. Durum enim dicitur ex eo, quod in eo vis insit quaedam innata, impediens quominus facile secari queat. Molle autem, quod in eo vis ea non insit. Tertium qualitatis genus conficiunt patibiles qualitates ac perturbationes: in quo genere sunt dulcedo, amaror, acrimonia, quaeque sunt eiusdem generis: itemque calor, frigus, candor, atrox. Has autem esse qualitates hinc perspicitur, quod ea in quibus insunt, qualia ex eis nominantur. Ut mel, quia dulcedine perfusum est, dulce appellatur: & candidum corpus, quod candore praestet. Quod idem in ceteris contingit. Sed patibiles qualitates vocantur, non quod ea quae eas receperunt, affecta sint aliqua ex parte. neque enim mel ex eo dulce dicitur, quod affectum sit quippiam, nec quicquam tale. Itemque calor et frigus qualitates vocantur patibiles non ob eam causam quod ea in quibus insunt, passa sint, aliquid. Sed patibiles qualitates ex eo dicuntur, quod in sensibus omnes haec qualitates, quas modo nominavi, motum quendam & affectionem efficiant. Nam & dulcedo quaedam motum affert gustatui, & calor tactui, & cetera.

eiusdem generis. At vero candor & nigror alique colores non eodem modo, quo ea quæ diximus, qualitates dicuntur, sed quæ à perturbationibus motionibusque nata sint. Nam commutationes multas colorum ex perturbationibus oriri, hinc intelligi potest, quod quando quis pudore afficitur, ruber fit, & qui metuit, pallidus, itemque cæteris eiusdem generis. Quo circa si cui natura aliquam talē motionem tribuerit, verisimile est eum simili fore colore. Quæ enim cum pudore aliquis affectus est, in corpore nascitur affectio eadem à natura institutione existere potest, ut natura etiam similis color oriatur. At quæ qualitates ortum habent & originem ab affectionibus, quæ vix tolli possunt, ac permanent, patibiles nominantur. Sive enim à prima institutione natura pallor aut atror extitit, qualitas dicitur (quales enim ex eis appellamur) siue longo morbo aut ardore eadem comparatæ sunt qualitates, nec facile corrigi possunt, aut per omne tempus ætatis valent, qualitates etiam hæc patibiles nominantur, si quidem ex ijs quales appellamur. Quæ autem ab ijs quæ facile euelli possunt oriuntur, motiones dicuntur, patibiles qualitates non item, quando quidem non ex ijs homines quales nominantur. Neque enim qui erubuit, ob id ipsum quod pudore affectus est, ruber vocatur: nec qui metu expalluit pallidus: sed potius non nihil perturbatus fuisse dicitur. Ita

perturbationes sunt hæc quidem omnia, patibiles qualitates non sunt. Similiter in animo & patibiles qualitates dicuntur & perturbationes. Quæ enim simulac orti sumus, ex motionibus quæ difficulter euelli possunt, oriuntur: eæ etiam qualitates nominantur. ut mentis è sua sede amotio, ut ira, & cætera eiusdem generis. Nam quales ex ijs nominamur, ut amentes, ut iracundi. Item quæ omnes mentis ex suo statu depulsiones quæ non natura sed temerè & fortuito hominibus eueniunt, aut quæ vix euelli possunt, & si quæ ijs similia: quippe cum ex ijs quales nominemur. At quæ constant ex ijs quæ facile ac cito dissipari possunt, vocantur perturbationes, ut si quis iracò motus, fiat iracundior. Neque enim iracundus appellatur ex eo quod in hac perturbatione iracundior existat, sed potius quod aliquid acceperit, & quasi passus sit dicimus, Perturbationes igitur hæc, non qualitates vocantur. Quartum qualitatis genus est figura, & ea quæ in quoque est forma, itemque rectitudo, & obliquitas, & si quid aliud his simile est. Nam ex his aliquid quale dicitur. Nam & triangulum & quadratum & rectum. & obliquum esse, quale quiddam nominatur, Atque etiam ex forma quale aliquid nominatur. Rara autem & crassa, aspera & leuia quale quiddam illa quidem videntur significare, sed aliena sunt ab ea quæ qualitatis propria est affectione. Situm enim potius verba talia declarant. Crassum

enim quid dicitur, quod eius partes, inter se propè cohererent.
Rarum autem id cuius partes inter se disiuncta sunt. Le-
uia, quod partes quodammodo in rectum sita sint. Aspe-
ra, quod partes alia emineant, alia superentur. Alia etiã
fortasse sunt genera qualitatis, sed hæc sunt ferè quæ
maximè in omnium ore versantur. Ac qualitates qui-
dem quid sint qualesq; diximus. Qualia autem sunt
ea quæ ab eis sunt cognominata aut quoquo alio modo
deducta, pleraque enim ac fere omnia ab ijs nomina du-
xerunt. ut à candore candidus, à grammatica gramma-
ticus, à iustitia iustus, itémq; cætera eiusdem generis.
Sunt autem quidam, qui quoniam nomina nulla impo-
sita sunt qualitati, nomina sua ab ea non trahant, ve-
lut cursor & pugilis qui ex vi innata nominatur, nomē
non traxit ab ulla qualitate. Neque enim imposita sūt
rebus ijs nomina, ex quibus quales hi appellantur, per-
inde atque scientijs à quibus hi pugiles aut palæstrici
nominantur propter affectionem. Ars enim pugilum,
& palæstra eæ artes appellantur, à quibus quales ijs no-
minis adiunctione & coniugatione appellantur. Inter-
dum impositum nomen est qualitati, cum interim id
quod quale ex ea dicitur, nomen non mutuatur ab ea, ut
à virtute, virtute præditus. Virtute enim præditus dici-
tur aliquis, quod virtutem habeat, nec est simplex à vir-
tute cognominatum. Idq; in paucis contingit. Sunt igi

sur qualia ea, qua nomina sua ab ijs qualitatibus de quibus differui sumpserunt aut alio quodammodo ab ijs orta sunt. Est autem qualitatibus inter ipsas repugnātia, ut iustitia iniustitia cōtraria est, & candor atrori, itēq; cetera eiusdem generis. Eadem est eorum ratio quæ ex ijs qualia nominātur. velut iusta in iustis contraria sunt, & nigra cādidis. Nec hoc in omnibus contingit. Rubris enim aut fusco coloribūsvet alibus, nihil cōtrarium est, cum sint qualia. Illud etiam intelligendum est, si vnū aduersorum in qualibus est, alterū etiam in ijs fore: quod singulatim ceteras categorias intuenti perspicere licet. velut, Si in iustitiæ contraria sit iustitia, iustitia autem sit qualitas, qualitas iniustitia sit necesse est. Nulla enī categoria præter qualitatem iniustitiæ cōuenit & accōmodatur. Similis est ratio ceterorū omniū quæ in qualitate contraria sunt. Recipiunt etiam intentionem & remissionem qualia. Nam & album aliud alio albius dicitur, & aliud alio magis minusve iustum. Atq; etiā incrementum ipsa ad se comparata recipiunt quod enī album est, fieri potest albius. Sed in plerisq; id fit, non in qualibus omnibus, Nam iustitiāne alia, alia magis minusve iustitia dicatur, quæstio est. Quod idē in ceteris affectionibus contingit. Nonnullis enim hæc in dubiū veniunt. Iustitiam enim iustitia minorē maiorēve, aut valetudine valetudinem dici non putāt oportere. Aliū

quidem alio & magis valere dicunt, & iustiore, quod idem fit in grammatica ceterisque affectionibus omnibus. Sed ea quae ex ipsis nominantur, sine vlla controuersia magis & minus sibi adiungunt. Nam & alio alius peritior grammaticus est, & valentior, & iustior. At verò triangulus & quadratum illud magis & minus non probant, neque vlla alia figura. Ea enim in quae trianguli orbisque definitio valet omnia aequè trianguli orbisque sunt. Eorum autem quae trianguli orbisque non recipiunt definitione, nihil aliud alio magis dicitur. Nam nihilo magis quadratum quàm altera parte longius, est circulus, quippe cum in neutrum valeat circuli definitio. Omnino autem, nisi vtraque rationem eius rei de qua agitur, recipiant, nunquam alterum altero magis minusve dicitur. Non igitur in omnibus qualibus illud magis minusve dicitur. At eorum quidem quae adhuc commemorata sunt, nihil est qualitatis proprium, Similia autem aut dissimilia aliqua in solis qualitatibus reperiuntur. praesertim cum nihil simile aut dissimile dicitur alia re vlla, nisi ex qua illud quale appelletur. Est igitur qualitatis proprium, ab ea aliquid simile aut dissimile nominari. Sed nihil est quod vere arne quis nos dicat cum de qualitate disputarem, multa enumerasse eorum quae in ipsis esse dixerim quae cum aliquo conferantur. Et si enim habitus & affectiones ad ea retulimus, quae cum

E

aliquo conferuntur, in ijs que sunt ferè qualitatibus genera omnia, tamen res singulae nulla in ijs reperit̃tur. Nã & scientia quæ genus est, quicquid ipsa est, alterius esse dicitur (alicuius enim scientia vocatur) & res singulae nulla quicquid ipsæ sunt, ad aliud referunt. Ut grammatica non dicitur alicuius grammatica, nec musica alicuius musica: nisi forte hæc ipsa propter genus, in ijs sunt quæ cum aliquo conferantur. Velut grammatica alicuius scientia dicitur, non alicuius grammatica: & musica alicuius scientia, non alicuius musica. Non sunt igitur res singulae in ijs quæ cum aliquo conferuntur. Quales autē ex singulis scientiis nominamur, quoniam eæ sunt in nobis, & artifices ex eo dicuntur, quòd nonnulli singulis scientiis præditi sint. Quare singulae scientiæ etiam qualitates erunt, ex quibus quales appellamur, nec in ijs sunt quæ cum aliquo conferuntur. Postremo si idem sit & in qualitatibus & in ijs quæ cū aliquo conferuntur, nõ alienum est id ipsum in utroque genere collocare.

AGERE ET PATI.

AT QUÆ etiam agere patique & repugnantiam recipiunt, & magis ac minus. Calfacere enim & refrigerare sunt inter se contraria, & calescere & frigerare, et gaudere ac dolere. Reperitur igitur in his repugnantia. Item magis & minus. Nã & calfacere magis

Aristotelis de prima

Resolutione. LIB. II.

De principijs ratiocinationis. Cap. I.



INITIO dicendum videtur quid sit, in quo posita est instituta disputatio, quæ de re sit suscepta. Versatur autem in demonstratione, ac de demonstrandi arte est instituta.

Tum explicandum nobis est, quid sit propositio, quid extremum, quid ratiocinatio, cuiusmodi sit tum quæ perfecta, tum quæ imperfecta dicitur. Demum quidnam sit quidpiam in toto aliquo esse, aut non esse: quidque appellamus aliquid de aliquo omni, aut nullo dici. Est igitur propositio oratio quæ aliquid de aliquo affirmat aut negat: Id quæ aut in toto, aut in parte, aut indefinite. In toto autem dico, cum quid aut omni, aut nulli inesse dicitur: cum vero alicui vel non alicui vel non omni id particulare appello. Quod si inesse aut non inesse dicitur absque universali aut particulari nota, Indefinitum id voco. Cuiusmodi hæc sunt, Aduersa eadem arte continentur. Voluptas non est bona. Eo autem differt demonstrativa propositio à dialectica, quæ illa est ex aientibus & negantibus vn

A



vnius partis assumptio: quippe ut confessū sumit qui de-
 monstrat, nihil rogat. Dialectica propositio, quaestio est
 vtranzq; cōtradictionis partem cōplexa. At quod attinet
 ad ratiocinationem ex vtrauis struendam, nullum inter
 eas est discrimen. Nam & qui demōstrat, & qui rogat,
 ita ratiocinatur vterq; ut quid cui inesse, vel nō inesse pri-
 us sumpserit. Ita propositio ratiocinationis, affirmatio
 est, vel negatio cuiusdā de alio: eo, quo diximus, modo. De-
 monstratiua autem tum demū est cum vera fuerit, & per
 prima initia confirmata & sumpta. Dialectica vero pro-
 positio: quod ad eum attinet qui rogat, quaestio est contra-
 dictionis: quod autem ad eum qui ratiocinatur, est assū-
 ptum quid apparens aut probabile: quemadmodū in *To-*
pici exposuimus. Sint igitur haec, quod ad rem presentē
 attinet, de propositione satis, quid inquā illa sit, quo diffe-
 rat ea, quae ratiocinationi adhibetur, à demōstratiua, &
 dialectica, haec item inter se. Diligentius enim de his in
 progressu differemus. Extremū vero id appello, in quod
 resoluitur propositio: cuiusmodi est, id quod de alio dici-
 tur, idq; de quo illud dicitur, seu adijciatur, seu tollatur
 illud esse, vel nō esse. Ratiocinatio vero est oratio, in qua
 nōnulla ita ponuntur, ut diuersum quā ab ijs necessario
 efficiatur: quia ea ita sint, quod postremū indicat nullo
 extremo e gere externo, ut necessaria sit consecutio. Per-
 fectam vero ratiocinationem eam appello, quae nullae

alia re eget præter ea, quæ in ea sũpta sũt, quo colligẽdi necessitas sit evidens ac perspicua. Imperfectã, quæ vna re, aut pluribus eget: quæ etiam si ad extrema cõcessa & substrata consequantur necessario, non sunt tamen illæ in propositionibus expressæ. Est autem res eadem, quidpiã in aliquo toto esse, & quidpiã de alio omni dici: nempe cum nullam subiecti partem reperias, in qua prædicatum nõ vere dicatur. Eodem pacto intelligendum est, de nullo aliquo dici.

De Pronunciatorum reciprocatione. Cap. II.

At vero cum effatorũ alia rem esse dicant, alia necessario eam esse, alia eam accidere: horumq; alia aiant, negent alia, idq; in quavis: enunciandi ratione aientium rursus, & negantium, alia in toto sint, alia in parte, alia indistincta: hæc inquam cum ita sint, in effato eo quod quidpiã vniuersim esse negat, necessario extrema reciprocantur: exempli causa, si nulla voluptas est bona, nihil quod bonum sit est voluptas. In eo autem pronuciato quod ait quid, extrema retro commeant illa quidem: sed in parte tantum, non vniuersim, vt si voluptas omnis est bona, quoddã bonum voluptas sit necesse est. Ex particularibus vero affirmãtis in parte retro commeat necessario: nã si quædam voluptas est bona: quoddam bonum est voluptas. In negantibus id nõ ita est. vt enim quoddã animans nõ sit homo: nõ ex eo efficitur quendã hominem nõ

esse animans. Principio igitur constituamus propositionem, in qua quidpiã uniuersim negetur: sitq; hæc, a, b: tũ si nullum b. est a. ne ullũ quidẽ a, erit b. Quod si quis reluctetur, quoddã a esse b: designetur illud, sitq; c. nõ erit igitur tum vsq; quaq; verũ qd dicebamus nullũ b esse a: cum c, pars sit aliqua ipsius b, eoq; contineatur. Quod si dicas: omne b esse a, hinc cõsequetur quoddam a esse b. q; si nullum esse dicas, ne ullum quidem b erit a: cũ antea pro confesso id haberetur, omne b esse a. Est autẽ eadẽ ratio, si in parte fuerit proloquium: nam si quoddã b est a, necessario efficitur vt quoddam a sit b. Quod si nullum a esse b dicas, hinc consequetur, ne ullum quidẽ b esse a. Quod si dicas, quoddam b non esse a, nõ continuo efficitur, vt quoddam a non sit b. verbi causa, si b, pro animã te intelligatur, a vero pro homine: neq; enim omne animans est homo, cum omnis homo sit animans. Eadem erit reciprocationis via in pronũciatis necessarijs: uniuersale enim negans in totum reciprocatur, affirmantium vtrunq; in parte tantum. Si enim nullum b est a, idq; necessario: nullum quoq; a est b, eodẽ modo. Nam si ipsum b alicui a accidere cõtendas: a quoq; cuidam b acciderit. At si omne vel aliquod b necessario sit a: sane & quoddam a necessario est b. si enim id nõ sit necessarium, neq; etiam quoddam b necessario est a. Negatio vero in parte ob eam ipsam, quam antea exposui, causam, non recipro

catur. At quod attinet ad accidentia, quia accidendi
 vocabulum varium est ac multiplex: quippe quod, tum ne-
 cessarium contineatur, tum non necessarium, denique et
 possibile: sane in affirmantibus omnibus eadem est quæ
 prius reciproca ratio. Nam si a ipsi b vel in totum vel cui-
 idam accidat, & b quoque ipsi a acciderit: nam si ut nulli con-
 ueniat necesse est, a quoque nulli b convenire oportet: id quod
 paulo ante confirmavimus. In negantibus vero diversa
 est ratio: quia quæ accidere dicuntur, aut quia necessa-
 rio non insint, aut quia citra necessitatem absint, eodem
 modo committantur. ut si quis dicat homini accidere, ut non sit
 equus, aut albedinem nulli vestimento, quorum unum non
 inest, idque necessario: alterum citra necessitatem. Et eodem
 prorsus modo retro committat utraq; propositio, quo superi-
 ores: si enim accidat, ut nullus homo sit equus, accidat
 quoque, ut nullus equus sit homo. Et si in nullo vestimento
 albedo accidat, in nulla quoque albedine vestimentum acci-
 dit. Quod si in aliqua necessario sit, in quodam etiam
 indumento albedo reperietur necessario: id quod paulo
 ante confirmavimus. Illud idem de negante particulari
 iudicandum est. At prius illæ propositiones in qui-
 bus quid accidere dicitur, aut quia plurimum fiat, & na-
 tura ita sit comparatum (quomodo accidentis vocabulo
 peculiariter utimur) iam non est eadem lege reciprocationis
 utendum: quin negatio universalis retro non committat: par

ricularis autem maxime. Id quod perspicuū erit, ubi de accidente differemus. In præsens id tantū nobis ad eam rem intelligendā confessum sit, quod accidere nulli, aut cuidam non inesse, speciem habet affirmationis: nā illud accidit, consimilem locum atq; ordinem seruat, atq; ipsū est. Hoc autē quibuscūq; predicatis adijciatur, affirmationē quoquo modo efficit, ac perpetuo. Cuiusmodi hæc sunt, Est non bonū, nō album, & in vniuersum, est non hoc, aut nō illud. Id autem in progressu confirmabimus. Hæc vero reciprocandæ legem eandem sequuntur, quam & alia. His ita constitutis dicendū nobis est, quæ sint ea ex quibus struatur ratiocinatio quæuis. Quando ratiocinatio proba sit futura, quæq; via ac ratione sit componēda. Posterius de demonstratione dicendū nobis erit. Est enim ante demonstrationem de ratiocinatione differendum, eo q̄ hæc latius patet. huius enim illa pars quædam est, hæc vero totum atq; in pluribus.

Prima Figura. A, B, C. Cap. iij.

Quandocunq; ergo tria extrema ita inter se affecta fuerint, ut postremū in medio toto contineatur, hoc autē in toto, primo, vel sit vel non sit, necessario hinc efficitur extremorū perfecta cōplexio. Medium id appello, quod cum in alio sit, aliud quoq; in hoc continetur, & situm quoq; mediū seruat. Extrema vero ea dico, quorum alterum in alio est, in altero autem aliud continetur. p̄fecto

si a de omnib^{us} affirmetur, & b de c quouis: necesse est ut a
 de quouis c affirmetur. presertim cum paulo ante expli-
 catum sit, quid sit de aliquo toto dici. Eadem est ratio,
 si a de nullo b dicatur: b vero in c toto sit. Nam a in nullo
 creperietur. Quod si primum extremū cuius medio sit
 consequens, & hoc nulli postremo insit, nulla erit extre-
 morū cōplexio. nihil enim quicquā necessario hinc effi-
 citur, quia ea ita se habeant: cum fieri possit, ut primum
 postremo tum omni insit, tū nulli: unde nec in parte nec
 in toto necessarium quicquam efficitur. Quotiescuq;
 autem nihil necessario colligitur, ex ijs sane ratiocinatio
 nō fuerit. Extrema in quibus alterū alteri toti insit, sint
 haec, animans, homo, equus, in quibus nulli insit, illa, ani-
 mās, homo, lapis. Ne ratiocinatio quidem fuerit, ubi pri-
 mū in medio nullo reperietur: simul & hoc in postremo
 nullo. Extrema affirmādi sint haec, sciētia, linea, medi-
 cina: negandi vero, haec, sciencia, linea vnitas. Hinc per-
 spiciū est, quādo futura sit ratiocinatio: quando nō itē,
 ubi extrema vniuersalia fuerint. Illud etiā constat, quā-
 docunq; fuerit ratiocinatio, extrema, eo quo diximus mo-
 do, affecta esse oportere: q; si ita digesta sint, ratiocinatio
 nem ex ijs effici. At ubi extremorū alterum ad aliud sit
 affectum in totum, alterū in parte, cum vniuersalis seu
 affirmatio, seu negatio maiori extremo cōiuncta fuerit,
 minori vero affirmatio in parte, necesse est hinc nasci rō

cinationem absolutam: ubi autem minori extremo addi-
 tum fuerit vniuersale illud, aut quoquo alio modo extre-
 ma fuerint digesta, ratiocinatio fieri nullo modo potest.
 Maius extremum id dico, in quo medium continetur.
 Minus vero id, quod medio substernitur. Sit enim hoc cō-
 fessum, quoduis b esse a, quoddā item c esse b. hinc sane
 efficitur necessario, vt quoddā c sit a, si de aliquo toto di-
 ci id sit quod initio explicauimus. Quod si nullū b sit a
 quoddā vero c sit b, necesse est, vt quoddam c nō sit a. Cū
 antea interpretati simus quid sit, quoq; modo audiēdū,
 de nullo aliquo dici. Erit igitur adhūc modū ratiocina-
 tio suis numeris absoluta: quod idē fiet si b c affirmatio
 fuerit, indistincta: quippe cum eadē struatur ratiocina-
 tio: seu particulare sumas pronūciatum, seu indefinitū.
 q̄ si minori extremo iūgatur vniuersalis affirmatio, vel
 negatio, nulla hinc erit ratiocinatio: cum propositio, aut
 in parte fuerit aut īdefinita, seu affirmet illa, seu neget.
 verbi gratia: si quoddam b sit a, vel non sit, c vero quoduis
 sit a: extrema consentanea sint hęc, bonū, habitus, pru-
 dentia. Disparata, bonū, habitus, inscitia. Rursus si nul-
 lum c sit b, quoddā vero b, vel etiā non omne, sit a, vel non
 sit: ne sic quidem erit ratiocinatio. extrema omnino cō-
 sentanea sunt, album, equus, cygnus. Repugnantia pla-
 ne, album, equus, coruus: quę eadem vsurpanda sunt, si
 b, a propositio indistincta fuerit. Neq; itē ratiocinatio

illud intelligendum eodem modo, quo in complexione. Sint igitur ambo contingensia primū, ut & a, & b ipsi c omni accidant: Iam cum affirmans in parte retro commeet, b autem omni c accidat, & c quoque cui dam b acciderit: Ita si a omni c accidat, c verò alicui b, necesse est profecto, ipsum a alicui b accidere. Nam ita struitur prima figura. Quòd si a nulli c accidat, b verò in toto c inesse possit, necesse est, ut a in aliquo b possit non esse: quippe cum iterum fiat prima figura per reciprocationem. Quòd si ambo priuantia proponantur, ex rebus sanè concessis nihil efficietur necessario. Quòd si retro commeet pronunciat a, efficietur conclusio, eo modo, quo antea. Si enim & a & b possint non esse in c, ex reciprocatione rursus fiet prima figura. Ubi verò finitū alter in toto fuerit, alter in parte, ubi eadē fuerit eorū dispositio, quæ in absolutis, eodem quoque modo erit vel non erit ratiocinatio. Faciamus enim, ut a omni c accidat, b verò alicui c, profecto si inuertatur ea propositio, quæ est in parte, iterū efficietur prima figura: Nam si a in toto c inesse potest, c verò in aliquo b, a sanè in aliquo b inesse potest. Eadē est ratio, si ipsi c adyiciatur vniuersalis nota. Itē ubi a c priuas fuerit, b c affirmas: ex inuersione enim rursus fiet prima figura. At ubi ambæ enūciationes negant, altera in toto, altera in parte, ex ijs eo modo sumptis nulla efficietur complexio.

quòd si reciprocentur illa, efficietur sanè eo, quo antea, modo. Quòd si amba indefinita sumantur, aut in parte, nullus erit syllogismus: quippe cum necesse sit, a in b & toto & nullo reperiri. Extrema consentanea sunt hæc, animans, homo, album. Dissidentia verò equus, homo, album, in quibus ipsum album medium est.

CONIUNCTIO ACCIDENTIS & absoluti in tertia figura.

Cap. 20

Ubi autem effectum alterum quid esse dixerit, alterum quid accidere, colligetur quidpiam accidere, esse nō itē. Constat autem ratiocinatio in eadem extremorum dispositione, qua prius: Faciamus enim primum, ut affirmet illa, ut a sit in toto c, b verò toti c accidat: retro commeante ipso b c, prima figura efficitur, colligeturq; a in aliquo b posse inesse: hoc enim diximus, ubi in prima figura pronunciatum alterum significet quid accidere, complexionem effici accidentem. Hoc idem fiet, ubi ipsum b c dixerit esse, a c verò accidere: item ubi a c neget, b c affirmet, & utrūvis esse significet, utroq; modo contingens erit complexio. Fit enim iterum prima figura, in qua si pronunciatum alterum sit contingens, conclusionem quoque contingentem fore docuimus. Quòd si minori extremo iungatur negatio contingens, vel ambo pronunciat a negent, in positis pronunciatibus nulla est ratiocinatio: erit autem, si hæc reciprocentur, quæ admo-

dum sit in superioribus. Ubi verò pronunciatorum alterum in toto sit, alterum in parte, affirmetq; ambo, vel cerse quod in toto est, neget, quod autem in parte affirmet, idem erit ratiocinationum modus, omnes enim per primam figuram perficiuntur. Unde perspicuum est, collatum iri, non quidem esse, sed accidere. Si autem affirmet universale proloquium, particulare verò neget, confirmatio ducetur ab absurdo, ut si b sit in toto c, a verò alicui possit non inesse, necessario efficitur, ut a in aliquo b possit non esse. Nam si a in toto b necessario reperiat, est iam concessum ipsum b in toto c inesse: ita ipsum a in toto c necessario erit. Id enim antea probauimus: At pro certo habebatur, in aliquo posse non esse. Ubi verò amba indefinita, aut in parte sumuntur propositiones, nulla erit conclusio. Cuius rei eadem est, qua in vniuersalibus fuit probatio, ac per eos ipsos fines.

CONNEXIO NECESSARII

ac contingentis in tertia figura.

Quando verò pronunciatum alterum necessarium est, alterum contingens, & affirmant ambo, conclusio perpetuò contingens erit. Ubi autem alterum ait, alterum negat, si aiens sit necessarium, colligetur posse non esse, si negans id fuerit, concludetur cum posse non esse, cum non esse, necessario non esse, nequaquam, ut nec in alijs figuris. Faciamus primum, ut ambo extrema affir

Cap. 28

H

ment, ut *a* in toto *c* necessario in sit, *b* verò in toto *c* esse possit: tum quia *a* in toto *c* necessario in est, *c* verò alicui *b* accidit, *a* quoque alicui *b* accidet, non in erit: eo enim modo in prima figura colligebatur. Eadē erit probandi via, si illud *b c* sit necessarium, *a c* contingens. Rursus alterum aiat, neget alterum, sit q̄ aiens necessarium, ut *a* in nullo *c* esse possit, *b* verò in toto *c* necessario in sit: iterum sanè fiet in prima figura. Conclusio autem contingens erit, non absoluta, quippe cum pronuntiatiū priuans dicat accidere. Ex quo perspicuum est, conclusionem fore contingentem: cum enim eo modo digesta essent propositiones in prima figura, sequebatur cōtingēs complexio. Quòd si priuans sit necessaria, complexione colligetur, posse in aliquo non esse, item & non esse: Pona mus enim, *a* in *c* non esse ex necessitate, in eodem autē toto ipsum *b* posse esse, si affirmatio illa *b c* commutetur, fiet prima figura, in qua priuans propositio sit necessaria, ex qua dispositione diximus effici, ut *a* in quodā *c* possit non esse, & non sit. Necesse est igitur, *a* in aliquo *b* non esse. Cum autem negatio minori extremo iuncta sit, ea q̄ contingens, ratiocinatio erit, si pronuntiatiū illud permutetur, ut & antea fiebat: si necessaria sit, nulla erit conclusio, quippe cum alterum in altero toto sit necessario, in nullo item esse possit. Alterum in altero toto est, ut in his, somno, equo, homine dormiente: In nullo ve-

rō, ut in his, somno, equo, homine vigilante. Eadem ratio-
 ne si extremum alterum in toto medio sit, alterum in
 parte tantum, aiantq̄ ambo, efficietur, alterū alteri acci-
 dere, illi inesse non item. Colligetur item contingens con-
 clusio, si negetur vnum, affirmetur alterum, & hoc sit ne-
 cessarium: nam si quod negatur necessarium sit, collige-
 tur quidpiam non esse. Est enim eadem probandi ratio,
 seu in toto sint extrema, seu non sint, cum in prima figu-
 ra instaurētur syllogismi. In his igitur ut in illis, euenire
 est necesse. Quando verò negatio in toto minori extremo
 iuncta fuerit, eaq̄ contingens, ratiocinatio per recipro-
 cationem efficietur: si necessaria ea fuerit, nulla erit
 conclusio: id quod eadem via, iisdem item extremis confir-
 mabitur, ac in vniuersalibus. Hinc igitur planè intelli-
 gi potest, quando, quòque modo, in hac quoq̄ figura futu-
 ra sit ratiocinatio, quando accidere quid, quando item
 quidpiam esse colligetur. Manifestum est etiam om-
 nes syllogismos imperfectos quidem esse, instaurari au-
 tem eos ac perfici in prima figura.

QUOD OMNIS RATIO-
 cinatio ad illas tres figuras
 referatur, extra quas nul-
 la planè reperiatur.

Ex his, quæ hucusque exposuimus, constat, qui in his
 figuris sunt syllogismi, per eos vniuersales perfici, qui

Cap. 22

H ij

in prima figura struuntur, ad eosque referri: ubi vero ostendimus, ratiocinationem omnem in aliqua earum figurarum strui, perspicuum erit eandem esse omnium syllogismorum rationem. Necesse est igitur demonstrationem omnem ac ratiocinationem efficere, ut quidpiam sit, vel non sit, idque aut in toto, aut in parte, & recta probatione, vel ex fictione. Huius autem ficta probationis pars ea est, quae fit ab absurdo. Primum igitur de ratiocinatione ea recta probante differamus, in qua si res semel est probata, in reliquis facile perspicietur, in ea, inquam, quae est per incommodum, & omnibus, quae sunt ex hypothesi. Si igitur colligendum sit, ipsum a in illo b esse, vel non esse, necesse est, ut aliquid de aliquo confessum sit praesumptum: Quod si sumatur, a de b dici, in argumentum sumetur quae sitio proposita initio: si autem ipsum a de c dici sumatur, c vero de nullo alio, nec de illo aliud, nec de a quicquam aliud, nulla erit ratiocinatio, quippe cum nihil efficiatur necessario ex eo, quod unum de vno sit sumptum: est igitur pronuntiatio alterum assumendum. Itaque si a in alio dici sumatur, aut aliud in ipso a, aut aliquid aliud in ipso c, nihil vetat ratiocinationem eo modo strui. Conclusio autem ex his ita sumptis nihil pertinebit ad ipsum b, ne si ipsum c in alio, hoc item in alio, rursus hoc aliud in alio, ut nunquam quicquam cum b coniungatur, ne tum quidem

colligetur ipsum b in a : cum à nobis hoc antea dictum sit, nunquam quicquam de alio ratiocinatione collectū iri, nisi medium quoddam sumptum sit, quod ad utrūq; illorum recta quadam dicendi lege se habeat. Nā cum omnis in vniuersum ratiocinatio ex propositionibus cōstet, profecto quæ ad quiddam certum pertinet, ex ijs conficitur propositionibus, quæ ad illud affecta sunt: & quæ hoc in illo concludit, ex ijs struitur, quæ hoc cum illo coniungant: fieri autem nequit, vt pronunciatum quoddam sumatur ad concludendum ipsum b , cum de eo nihil affirmetur aut negetur: nec item ad colligendum a in b , si nihil ambobus commune sumatur, sed de utroque seorsum propria nonnulla affirmentur, aut negentur. Ubi igitur hoc de illo ratiocinatione est concludendum, medium quid in ijs est sumēdum, quod ea quæ dicuntur copulet ac vinciat: Quando ergo quidpiam ambobus commune sumi oportet, id tribus modis fieri potest. Nam aut a de c , & c de b dicetur, aut c de ambobus, aut ambo de illo, hæc autem sunt figura à nobis exposita: perspicuum est syllogismum omnem in aliqua ex ijs figuris necessariò strui. Eadem enim est ratio vbi per plura media ipsi b , coniungetur a : in pluribus enim eadem quæ in paucioribus erit figura. Ex his igitur constat ratiocinationes omnes recta probantes per figuras expositas effici.

Cap. 23

Quòd autem in ijs, quæ sunt ex hypothesi, eodem modo res habeat, hinc intelligitur: Nam omnes, quæ per incommodum quidpiam efficiunt, falsum quid concludunt, propositum autem ex hypothesi probant, quando quidem ex contrario posito aliquid eueniat, quod fieri non possit: verbi causa, concludimus dimetientem nullam cum latere rationem habere, ex eo quòd si aliquam habere posueris, sequetur, imparia paribus esse æqua: Sane cõcluditur, numeros impares paribus esse æquos. At dimetientem irrationabilem esse ex hypothesi monstratur, nempe quia ex illius contrario quidpiam falsum euenit. Illud enim est, quod dicimus concludere per impossibile, quidpiam ex hypothesi initio proposita concludere, quod fieri nequeat. Cum igitur in ratiocinationibus ijs, quæ ad incommodum deducunt, rectè ostendatur, ac cõcludatur quidpiam falsum, questio autem proposita probetur ex hypothesi: & paulo ante docuimus, quæ aliquid rectè ostenderet, omnem per aliquam ex tribus illis figuris effici: manifestum est ratiocinationes ex incommodo per eas quoque fieri, nec eas modò, sed & quæ sunt ex hypothesi pari ratione omnes: transsumptum enim omnes quidem concludunt, propositum autem ex consensu ac conuentione probatur, aut ex alia aliqua hypothesi. Quòd si ita est, necesse est demonstrationem ac ratiocinationem omnem per tres illas figuras, quas exposui-

cum sit mediū, nempe ut per umbellās circulus efficiatur
 per figurā rectilineā, sanè res est prope cognitionē: quan-
 do verò b c magis credibile non sit quàm a c, nec pauca
 eorum sunt media, abductionem tū non appello, nec item
 eum b c medio vacat, id enim est scientia.

DE REFUTATIONE.

Refutatio verò est pronūciatum alteri contrarium.

Cap. 22.

Inter hanc autem, & pronūciatū hoc interest, quòd hæc
 in parte esse potest, pronūciatū omnino nequit, vel certè
 in syllogismis vniuersalibus non potest. Obicitur autem
 refutatio duplici ratione, & in duabus figuris: bifariam
 quidem, aut enim in toto est, aut in parte omnis: in dua-
 bus figuris, omnes enim afferuntur contraria pronūcia-
 tio: contraria autem in prima, & tertia figura conclusio-
 tur tantum: nam cum quis postulat quidpiam in aliquo
 loco esse, occurrimus, vel quòd nulli insit, vel quòd in ali-
 quo non sit, ex quibus illud in prima figura colligitur:
 hoc in postrema figura, verbi gratia, intelligamus in a
 vnā esse scientiam: in b verò collocetur, aduersa: sanè
 si quis proposuerit, vnā esse aduersorum scientiam oc-
 currit alter, vel quòd contrariorum eadem non sit om-
 nino scientia: aduersa autem sunt contraria atque ita
 efficitur prima figura: vel quòd rei nota, & ignota
 non sit vna scientia, ea autem est figura tertia: nam in
 eo tertio, cognito inquam & incognito, verè dicitur, ea ad-
 uersa esse, cum tamē falsum sit vna scientia illa cōtinē-

vi. Eadē est quoque ratio in pronūciato priuante: si quis enim petet contrariorū non esse vnā scientiā, continuo ei occurrimus, aut omnium cōtrariorum esse eandē, aut certē quorūdam aduersorum, vt sani & a gri, ac omniū vnā esse probamus in prima, quorundam verò in tertia. Nam in omnibus omnino pronūciatis vniuersalibus, quæ quis pro exceptione adfert, id videndum est, vt illud quod contrā adfertur, sit vniuersale aliquid ad rem propositam, vt si petat nō eandem esse aduersorum omnium scientiā, dicat ille, contrariorū vnā esse: eo autē modo necesse est primā figurā effici. Est enim medium vniuersale quid ad quæstionē initio propositam: In parte autē si quid opponere velis, aliquid afferendū est, ad quod subiectū propositionis sit vniuersale, vt cogniti & incogniti non esse eandem scientiam, aduersa enim totū sunt ad illa, & ita fit tertia figura. Nā quod in parte sumitur medium est, vt cognitū & incognitum: nam ex his refutationes afferre conamur, vnde contrarium concludere possumus: quæ propter per eas figuras solas asserimus, nā in his tantum contraria conclusiones efficiuntur, nam in media figura nulla affirmatio colligebatur. Iam verò vt in ea fieri posset, certē prolixiori ratione opus esset ad refutationem in media figura colligendam, vt si non concesserit, a esse in b, quia c non sit ipsi consequens: id enim per alias propositiones facile intelligitur: at refutationē aliò diuerti non oportet, sed continuo alteram pro-

positionū perspicuam habere: quamobrē in vna hac figura non est signū. Sunt autē alia quoq; refutationes expendēda: cuiusmodi sunt, quæ de cōtrario ferūtur cum simili, tum etiam opinabili. Item possit ne sumi particularis in prima figura, aut priuans in media.

DE CONSENTANEO ET SIGNO.

Non est autem res eadem consentaneum, & signū, sed consentaneum & verisimile est probabile quoddam pronunciatum: quod enim plurimū vulgò norunt ita fieri, vel non fieri, esse item, vel non esse, id est verisimile, ac consentaneū: vt oderint qui inuident, diligāt qui amāt. At signum suapte natura est pronunciatum, vel demonstrabile, vel necessarium, vel probabile: id enim est signū, quòd res sit vel fuerit, quòd dum est, vel fit, vel prius, vel posterius res ipsa facta est.

DE ENTHYMEMATE.

Est igitur Enthymema ratiocinatio imperfecta ex verisimilibus vel signis. Intelligitur autem signum tribus modis, quot & mediū in figuris: aut enim ita se habet, vt in prima, aut vt in media, aut vt in tertia figura: verbi causa, probare mulierem vterum ferre, quia lac habet, ex prima figura est: nam medium est lac habere, ac in a ponatur vterū ferre: b verò sit lac habere, mulier verò in c ponatur. Illud autem sapientes inquā viros esse probos, quia Pittacus sit probus, per ultimā figuram efficitur: ponamus in a probum, in b sapientes, in c Pitta-

Cap. 29

Cap. 27

cum: profecto verè dicuntur a, & b de c: caterum alte-
 rum prætermittunt, quia illud norunt, alterum autem
 assumunt: illud autè, mulierem inquam vterum gestare,
 quia palleat, per secundam figuram effici solet, nam quia
 vterum gestantibus pallor est cõsequens, & huic quoque
 consequens est, effectum inde putant eam vterum gesta-
 re. Sic pallidum in a, in b vterum ferre, in c mulier: vbi
 igitur vna tantum propositio dicitur, signum est modò:
 si altera assumatur, tum est syllogismus: verbi causa,
 Pittacus est liberalis, nam ambiciosi sunt liberales, &
 Pittacus est ambiciosus: vel contrà, sapientes esse viros pro-
 bos, quia Pittacus est vir probus, & idem est sapiens. Funt
 igitur ad hunc modum syllogismi. Caterum qui in pri-
 ma figura efficitur, dilui nequit, si verus sit, cum sit uni-
 versalis: qui verò in postrema figura efficitur, dissolui po-
 test, etiam si vera sit conclusio, quia nec universalis est syl-
 logismus, nec ad rem: ut enim Pittacus sit vir probus, non
 continuò necesse est alios sapientes esse probos. Qui verò
 in media figura efficitur, is semper, & ratione quavis
 solui potest: neque enim efficitur syllogismus vnquam,
 dum extrema ita sunt collocata: ut enim mulier vterum
 gestans sit pallida, hac etiam mulier palleat, non ideo
 necesse est hanc vterum ferre, in omnibus igitur figuris
 verum efficietur: differunt autem eo, quo dixi, discrimi-
 ne. Sanè vel hac ratione diuidi debet signum, & me-
 dium in illis constituendum est indicium, ac propriis

rei nota: aiunt enim indicium esse id, quod rem cognoscendam praebeat, medium autem maxime est istiusmodi: vel certe appellatione signi intelligenda sunt ea, quae sunt in extremis. Indicia autem appellanda sunt, quae in media figura ponuntur. Nam quod in prima figura collocatur admodum credibile est, & maxime verum.

DE RATIONE NATURAE
coniectanda.

CAP. XXV.

Potest autem fieri, ut coniciatur natura & ingenium, si quis concedat, naturales affectiones corpus simul cum anima immutare: nam qui musicam edoctus est, animo fortasse est immutatus: at ea affectio non est ex earum numero, quae nobis naturales sunt, sed alia potius. Cuiusmodi sunt iracundia, concupiscentia naturalium mutationum: profecto si quis hoc concesserit, & vnius rei vnum esse signum, & accipere possimus suam cuiusque generis affectionem ac signum, naturam coniectare poterimus. Nam si alicui generi vni sua est, & propria affectio, ut in leonibus fortitudo, necesse est quoddam esse signum, quippe cum sit confessum eas se mutuo afficere. Sit igitur illud, quod ingentes habent membrorum extremitates, id quod in alijs quidem generibus reperitur, sed non totis: nam ita demum signum est proprium, quia affectio totius generis propria est, non vnius tantum, quo modo loqui solemus. Sanè id in alio

genere inerit, erit que homo fortis, item & quodpiã aliud
 animans: habebit igitur signũ illud: vnius enim rei vnũ
 esse signum diximus. Si igitur hæc ita habent, & in ani-
 mantibus huiusmodi, quæ affectionem vnã propriã
 habent, ea signa colligere poterimus, vnaquæque autem
 affectio suum habet signum: quãdoquidem vnũ habeat
 necesse est, profecto naturã ac ingenium cõiectare pote-
 rimus. Sin totũ genus duas habeat affectiones proprias,
 quemadmodum leo & fortis est, & sauciabilis, quo pacto
 cognoscemus ex signis illis propriè consequentibus, verũ
 vtrius sit signum? an si in alio quodã, nõ toto ambo sint,
 & in quibus non totis vtrumque insit, cũ vnum habeat:
 alterũ non item: nam si fortis sit, nec liberalis, & ex duo-
 bus hoc habeat, cõstat id in leone signũ esse fortitudinis.
 Coniectatur autem natura, & ingeniũ in prima figu-
 ra, cum mediũ cum priori extremo recipiatur, & ex-
 cedit tertiũ, nec cum eo commeat: verbi causa, sit a for-
 titudo, extremitates magna in b, leo in c: profecto
 in quo est c, in eo toto est b, itẽ & in alijs. In quo
 autem est b, in eo toto est a, nec in pluri-
 bus dicitur, sed retrouertitur:
 alioqui non esset vnius
 rei vnicũ signum.

FINIS.



3

